



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 87 Dissidia in Castella post Isabellæ obitum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XVI  
A. C. 1505.

ciæ officio exutus, aula exulare jubebatur, unde in quamdam suam, quæ Vergerum vocabatur, ditionem in Andegavia sitam sese recepit.

## §. LXXXVII.

*Diffidia in Castella post Isabellæ obitum.*

*Marian. lib.*  
28. n. 62.

**R**ex recuperata salute, denuo publicis negotiis vacare cæperat, ac de fide, optatoque successu fæderis cum Papa, Cæsare & Archiduce desperans, faciles aures præbuit Ferdinando Hispaniarum Regi, qui primus cum eo armorum societatem inire pollicitus est: Regina enim Isabella fatis functa, variis diffidiis Castella scindebatur, Procerum compluribus, ut Ferdinandus Castellæ Regis insignibus ornaretur, exoptantibus; id enim testamenti tabulis cautum esse, ac proin Regni administrationem eidem asserendam dicebant, eoquod illius incapax esset Joanna Regina ejus Filia, utpote mentis inops facta. Ex adverso contendebant non pauci, Ferdinandum non modo a regiminis cura arcendum, sed etiam, si forte Joanna regno administrando impar esset, subrogandum esse Archiducem ejus Maritum, jamjam Castellæ Regem salutatum: horum sententiam Manuel fortiter tuebatur.

§. LXXXVIII.